



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Beati Aloysii Gonzagæ E Societate Iesv,
Ferdinandi S. Rom. Imp. Principis, Marchionis
Castilionensis F. Natu Maximi, Libri Tres**

Cepari, Virgilio

Coloniæ Agrippinæ, 1608

Præfatio auctoris ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43934

AVCTOR OPERIS
PIOLECTORI.

NEMO Historias, vitasque hominum, qui alijs, atq; alijs temporibus in Ecclesia Catholica sanctitate floruerunt, attigit, quin legendo compererit, Diuinam prouidentiam, quoties sanctum quempiam, rectique exempli hominem orbi concessit, plerumque ferè vnum aliquem ex eius notis, ac familiaribus prouidisse, qui, cælesti instinctu, vitam illius, moresq; describeret. videlicet ne, quorum vitæ norma sunt bene viuendi, rectamq; ad cælestè beatitatem viam longè certius, quam libri, sermonesq; commonstrant, eorum fama morte terminetur, sed velut commune quoddam bonum, ac documentum posterorum, consequentibus etiam ætatibus vigeat. Iam verò rerum à veteribus illis inclytis vitæ sanctimonia viris (quippe à nostro vsu, sensuque remotioribus) gestarum monumenta, omnibus licet virtutum exemplis referta, non, quantum par esset, in multorum animis ponderis habent, & admirationem ferè potius, quàm æmulandi studium mouent. Igitur non verentur interdum nonnulli negare, posse iam ad eum absolutæ virtutis gradum

dum 2

dum, quem antiqui feliciter contigerint, quemquam aspirare. quasi verò vicissitudine temporum, animorum quoque, & caelestium praesidiōrum vires hebetentur. Hac adeò de causa, non sine Dei numine, in Ecclesia, quæ pulcherrimi horti instar ornata est, noui indies homines, qui ad caelum accurato quodam genere viuendi nitantur, velut stirpes, floresque recentes exoriuntur. nimirum vt intelligamus liquidò, non esse abbreviatā manum Domini, & perinde nunc ac olim in Deo perfectæ sanctitatis officijs colendo versari licere. In his fuit nostra memoria ALOYSIVS GONZAGA beatus, neq; paribus vnquā suæ præstantiæ laudibus celebratus adolescens, qui trium & viginti annorum, triumque mensium spatio, quibus vixit, tantum innocentia vitæ fragrauit, & vsque eo virtutum meditatione prouectus est, vt quotquot eum norunt, admirationem, compluribus etiam qui eo sunt vsi familiarius, suis vestigijs infistendi amorem incusserit. Huius insigniū facinorum fructu, ne ij carerent, qui viuentem ignorarunt, Deus, pro eo ac solet, ad annotanda scriptisque mandanda, quæ de eius vita habuere comperta, plurium animos impulit. Nam, vt omittam quod in Annuis litteris Societatis IESV anni M. D. LXXXV. typis editis, cum de Domo probatio-

bationis Romana agitur, eius ad Religio-
 nem accessus compendio traditur, quodq;
 in vita Eleonorę Auftrię Archiducis, Man-
 tuę Ducis eminentissimę feminę, quę item
 typis vulgata est, ex opportunitate, multa
 cum laude, iterum idem in religiosam fa-
 miliã ingressus, & è vita excessus attingitur:
 princeps ALOYSII virtutes prodendi lit-
 teris Hieronymus Platus, auctor operis de
 Dignitate Cardinalis ad Fratrem, item alte-
 rius de bono status religiosi, vir raris na-
 turę, Dei que muneribus, sed in primis ex-
 cellenti iudicio, ac prudētia, & eximia pie-
 tate, & religione que præditus fuit. Is cum
 Romę in Domo professorum Societatis
 IESU tirones, qui eò sacris ministratum
 mittuntur, eo tempore gubernaret, quo
 Ludouicus & ipse adhuc tiro, eodem venit,
 ab eo exegit, vti sibi vitam suam omnem,
 propositum amplectendę religionis, bene-
 ficia denique omnia, dum adhuc in seculi
 licentia degeret, accepta diuinitus ex ordi-
 ne ediffereret. quę quidem cum ei inusita-
 ta, plane que egregia, neque nisi à peculiari
 quadam Dei gratia, & fauore profecta vi-
 derentur, adolescente digresso, breui scri-
 pto cuncta complexus est. Proximus ab hoc
 ego, vitam eius, dum adhuc viueret, Romę
 contexere sum aggressus: nam cum in Col-
 legio Romano, ipso familiari atq; intimo,
 pro-

propè assiduò vterer, sentiremque eius verbis, ac moribus audientium, spectantiumque animos, perinde ac sanctorum factis ritè præparata mente, proficiendi; studio legendis ad pietatem incitari, existimati apud homines etiam externos, eius sanctitatis exempla, siquam illorum cognitionem cepissent, eandem vim habitura. Ergo Dei, nisi fallor, impulsu, studio quam plurimorum commodis seruiendi, vitam eius commendare litteris decreui, idque consilium P. Hieronymus Platus, quicum illud communicaram, nō modo approbavit, sed etiā vt stimulum adderet, scriptum illud suum quod adhuc reconditum habuerat, mihi tradidit. Hoc igitur subsidio usus, additisque quæ vel obseruaram ipse, vel ab alijs acceperam, duobus ferè annis priusquā migraret è corpore, res eius ita sum executus, vt tamen nequā ad eius aures perueniret, per paucos earum participes facerem.

AL O Y S I O nobis erepto Robertus Bellarminus, qui nunc Cardinalis est, & priorem illam vitam magna cum animi sui voluptate euoluerat, magnoperè mihi auctor fuit, vti res postremis duobus annis gestas, quæ adhuc deerant, adiungerem. Verùm cum per id tempus alijs negotijs distinerer, cum multiplicem rerum copiam collegissem, eam omnem P. Ioanni Valtrino dedi, qui circa eos dies ad scribendos Societatis annales

nales è Sicilia aduenerat, vt vel ipse incepta mea absolueret, aut ijs, quò commodum esset, vteretur. Is etli ALOYSIVM nunquam cognorat, vbi tamen in Collegio Romano tam insigni sanctitatis fama clarere sensit, minimè cunctandum ratus, dum res eius in annalibus collocaret, singulari volumine vitam eius conscripsit. atque hæc altera Ludouici vita in hominum manibus versata est. Verum quoniam ea fere quibus in scribendo nixi eramus, magnam partem erant sancto quodam astu ex adolescentis ore elicita, qui pro suo humilitatis studio res suas ita narrabat, vt multa detruncaret, multa eleuaret, plurima reticeret, desiderium nos incessit, singula, adiunctis etiã temporum, locorum, personarũ notis exploratius cognoscendi. Itaq; cum de pluribus Mantua, Castilione, aliunde certiores fieri petissemus, tanta rerum varietas, & cumulus accessit, vt vniuersam narrationem retexédam, atque à capite accessendã esse duceremus. Interea Valtrinus se infecta abijt è vita. at R. A. P. Claudius Aquaiua Societatis IESV Præpositus Generalis, quòd optaret imprimis, adolescentis tam sancti vitam omnis præclari exempli documentis ornatam, lucem aspiceret, me nouum iubet historiæ pertegendæ & absoluendæ impetum capere.

Equi-

Equidem eam prouinciam, velut de caelo mandatam accepi, & quò de omnibus plenius erudirer primùm Florentiam iter institui, vbi per plures dies ex Francisco Turcio, qui hodie Ioannis Medicei viri Illustrissimi familiæ præest, totam adolescentis ætatem singillatim exquisiui. is enim cū **ALOYSIVS** nasceretur, versabatur in aula Ferdinandi Marchionis, à quo deinde ei pueritiæ custos, ac morum præfectus additus, & octodecim ipsos annos, donec Societatis tyrocinium ingrederetur, famulatus, quòd omnium eius itinerum comes fuerit, neque vsquam ab eius latere discesserit, vitam omnem adolescentis liquidò perspectā habet. Florentia me in Galliam Cisalpinam transtuli, ac postquam Castilionem, cuius ditio **ALOYSII** fuit, perueni, ex adolescentis matre Illustrissima femina, itē notis omnibus, & quotquot pristina adhuc fortuna videnti ministrarant, accuratè singula sum percunctatus, & quo plus momenti haberent, permissu episcopi, in eius vitam, ac mores legitimè inquiri, deq; ijs duo bene spissa instrumenta confici mandavi. Ad hoc monumenta de eo scripta è Gallia vltiore, & Hispania, testimonia item & auctoritates solemnè more tum in Polonia, tum in Italia coram plurimis Ecclesiasticis tribunalibus consignatas accepi: nempe, coram

ram

ram Patriarcha Veneto: coram Archiepiscopis Neapolitano, Mediolanensi, Florentino, Bononiensi, Senensi, Taurinensi: coram Episcopis Mantuano, Patauino, Vicentino, Brixiano, Foroliuensi, Mutinensi, Rhegiensi, Parmensi, Placentino, Montis regalis, Anconitano, Recinetensi, Tiburtino. Quin & ipse vrbes omnes, & oppida, vbi certiozem de his rebus me fieri posse sperabam, non semel peragraui. ac denique ad scribendum, Brixie cōfedi, vnde promptum erat, Castilione, qui prope abest, de ijs quæ dubitationem faciebant quam primum doceri. Ex his testium, scriptorumq; obfignatis tabulis, omnia, quæ narro, deprompsi. ac profiteor nihil me de huius Beati Dei famuli virtutibus, afferre quod non grauibus testibus iuratis, planum fieri possit, de quo viri illi Reuerendi, & Religiosi infrā citati, qui hanc Vitam cum instrumentis contulerunt, testimonium dicunt. Interiores animi virtutes ab Illustrissimo Cardinale Bellarmino, è scripto illo Hieronymi Plati, è complurium superiorum interrogationibus, è confessionum eius præsidibus, ex alijs denique qui intimos animi mores vel ex familiaritate introspexerunt, vel direxerunt, accepi. Ea quæ magis patent, quæque ante susceptam religionem euenerunt, didici è Francisci.

B

Gonza

Gonzagæ Episc. Mantuani viri R. mi & Ill. mi
 tū sermone, tū chirographo, quod etiā iure-
 iurando stabilivit, è Prospero Gonzaga V.
 Ill. mo qui inter initia baptismi sponsor pro
 eo fuit, ac deinde multum illo usus, plurima
 nouit de eo singillatim è Matre, Moderato-
 re, cubicularijs, famulis, qui à prima pueritia
 in eius famulatu, socij q; itinerū, quæ in mul-
 tas oras habuit, fuerunt, quorū omniū testi-
 monia legitimis tabulis sunt consignata. Ho-
 rum te Lector, nesciū esse nolui, nō diligen-
 tię meę venditandę causā, sed vt noris, hæc,
 quę abs te fidem impetrare velim, à me, quę
 sūt historici pprię partes, ex fide scripta ef-
 fe. Stilo usus ium simplici, & familiari, nullo
 artificio, aut amplificatione rhetorica. Nar-
 ratio non est certis capitibus deuincta, sed
 vt in prōptu sit cognoscere vbi, & qua ætate
 quidq; egerit, adolefcētis annos, & loca, in
 quibus commoratus est, ordine persequitur.
 qua in re etsi nonnulla, quorū consuetudinē
 retinuit, interdū iterare sit opus, non paucos
 tamen, ea res, vt opinor, delectabit. Historia
 tres in libros diuisa est. Primus vitā comple-
 ctitur quā in seculo vixit, vsq; ad religionis
 instituta suscepta. Alter vitā religiosam vsq;
 ad mortē: Tertius, quę de ipso, ab eius felici
 excessu gesta sunt. Videri possit cui piā alie-
 nū esse à decoro historiæ ad minuta quędā,
 quod in altero libro de industria facio, ex-
 plicāda descendere. Verum, quoniā homi-
 num

num religionem, & pietatem adiuuare his
 meis institui: neq; magnanimi alicuius Im-
 peratoris, aut præstantis in gerenda repub.
 viri, sed hominis religiosi vitam, & mores
 dignos imitatione exponēdos suscepi, quo-
 rū laus, minima alicuius adiūcti mutatione,
 vel infuscatur, vel augetur; pluriū exemplo;
 qui idē in narrandis Sanctōrū actis sunt se-
 cuti, & verò grauiū, atq; eruditorū homi-
 nū arbitrato nō nulla, quę leuicula quidem
 videbūtur, sed in quibus excellentiā quan-
 dā, perfectionemq; sanctitatis eius relucere
 sensero, ex destinato cōsectabor. Id mone-
 re libuit, ne quis temerè factum putaret. Si
 quid in narrando erratū erit, mihi attribui
 velim. si quid rectè, Deo acceptū ferri, quę
 veneror, vt nobis ad emulanda huius B. ad-
 olescētis præclara facinora, felicitatē, qua eū
 nunc in cælo frui credimus, consequendā,
 opem ferat. At tu sanctiss. & beatiss. ALOYSI,
 qui in fortunatis illis cęli sedibus tuorū
 laborū merita capis, atq; in illo diuinitatis
 speculo, in quo quę illi visū est rerū nostra-
 rū intueris, imperfectū meum vides, da ve-
 niā, quòd penè diuinas virtutes tuas humili-
 stilo deterā: ac memor propēse illius carita-
 tis, qua me viuēs cōplectebare, exora mihi
 à cōmuni domino, vt hic religiosū in modū
 vitam colā, vt tuo præsidio, tutelaq; subni-
 xo, stet aliquando, cū ita Deo placitū erit,
 tecum æterna beatitudine perfrui. Amen.